



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **R. P. Maximiliani Sandaei E Societate Iesv Doctoris Theologi Architectura Christiana**

**Sandaeus, Maximilianus**

**Coloniae Agrippinae, 1653**

Timor Domini Fvndamentvm Domus Sapientiae. seu Aedificij Spiritualis.  
Timor Domini principium Sapientiae. Prouer. I. 7. Principium Sapientiae  
Timor Domini. Prouer. IX. I. Initium Sapientiae Timor Domini. ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46065](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46065)

TIMOR DOMINI  
FUNDAMENTUM  
DOMVS SAPIENTIÆ.

Seu

*Ædificij Spiritualis.*

*Timor Domini principium Sapientiæ. Prouerb. i. 7.*

*Principium Sapientiæ Timor Domini. Prouerb. ix. 10*

*Initium Sapientiæ Timor Domini. Ecclest. i. 16.*

PROLOQVIVM.

**N**ONDVM à Domus Sapientiæ Fundamento, eiusve contemplatione abimus: & merito, nam qui domus fundamentum bene firmiterq; iecerit, is plus quàm dimidium ædificij erexisse videri potest. Quod in Architecturâ spirituali potissimum obtinet, in quâ, quod mireris, è Fundamento parietes pullulant, ceteraq; partes, quasi germinatione proueniunt. Quæ caussa est, cur Fundamentum, Radicem quoque artis huius periti denominare soleant. Diximus autem hactenus Fundamentum primum, ac per se, in Virtutum fabrica, esse Fidem, veram, diuinam, catholicam; cuius Præfundamentū sit Diuina reuelatio, quatenus per Ecclesiam innotescit, & Euidentiâ credibilitatis. Fundamentum autem secundarium. & κατὰ τὴν, rectè dici Humilitatem; cuius tanquam Præfundamentum supponi debeat. Notitia sui. Sed iam se offert aliud Fundamentum, quod minimè dissimulandum, cum de eo non sit vna omnium Artificum Euangelicorum sententia.

SER-



## S E R M O XI.

## TIMOR DOMINI

Quà Domus Tectum, Quà Fundamentum.

## ARTICULUS I.

*Timoris Domini*

Cum Tecto Domus analogia.

**D**IVINI Spiritus, qui est primarius Domus Sapien-  
tiæ Architectus, enunciatur: *Initium Sapien-  
tiæ Timor Domini.* Ex quo sic ratiocinari lubet. & per Cano-  
nes Architecturæ sacræ licet. Si *Initium*, aut *Principium* Sa-  
pientiæ est Timor Domini: est igitur Fundamentum *Æ-  
dificii* spiritualis. Siquidem per Sapientiã in divino Co-  
dice non intelligitur virtus aliqua solitaria, inter inel-  
lectuales una, cognita & celebrata à Philosopho, lib. vi.  
Ethic. 9. sed virtutum omnium *σύνθεσις*, compositio, con-  
ventusque: quæ est ipsissima Domus spiritualis defini-  
tio. Quod si Timor est Fundamentum, quomodo po-  
test esse Humilitas? quâ ratione Fides? An, quot virtutes  
tot sunt fundamenta? vbi ergo parietes? quæ tectum?  
quæ fenestræ? quæ aulæ? quæ conclavia? Et sanè, non est  
facile definire, an Timor Domini, totius *Ædificii* spiri-  
tualis Fundamentum, an verò Tectum dici debeat. Sum-  
enim quidam artis nostræ non imperiti, qui revera esse

Te-

Tectum opinentur : ad quod haud levibus inducuntur argumentis. Et imprimis, constat è Divinis paginis, quæ totam Architectandi sacram disciplinam haud paullò accuratius, quàm libri omnes Vitruvii profanam nobis repræsentant consummationem Sapientiæ esse Timorem Domini. Consummatio autem, sive ultima domus perfecto cum Tecto imponitur. Ecclesiastici 1. 16. *Initium Sapientiæ Timor Domini. At quale initium? In quo extrema perfectio: nam paullò post subdit: Plenitudo Sapientiæ est Timere DEUM: id est, perfectio, summum, conus, altitudo. Job xxiii. Ecce Timor Domini ipsa est Sapiëntia: quasi dicat, nucleus Sapiëntiæ est Timor Domini: id, quod in illa excellit, & est nobilissimum. Et Sapiens ipse in cathedra Ecclesiastes: Finem loquendi pariter audiamus: DEUM time, & mandata ejus observa. Hoc est enim omnis homo. Quo loco, ut notat D. Gregorius, lib. 4. Dialog. cap. 40. Salomon, velut extensa manu Concionator finem dictioni imponens, in unam sententiam, eamque brevissimam præceptiones omnes de virtutibus colligit, & Tectum quasi ædificio spirituali imponit, dicens, Finem loquendi, nimirum, finem sermonis, vel totius rei, perfectionem virtutum, sive consummationem (summam summarum, dicit alicubi Seneca) nostro proposito, ex Architectonica accommodatè; id, quod cetera regit, à quo Tectum, DEUM time: Hoc est enim omnis homo: id est, totus, integer, perfectus, consummatus: quasi dicat, in hoc consistit perfectio, seu consummatio hominis. Ob hanc causam, Beati dicuntur, qui timent Dominum: Beatitudo autem nemini advenire potest, nisi post impositum Ædificio Virtutum Tectum. Beatus homo, qui semper est pavidus, inquit Salomon Proverbior. xxviii. & Ecclesiasticus cap. xxv. Beatus homo, cui donatum est habere Timorem DEI. Qui tenet illum, cui adsimilabitur?*

labitur?

labitur? & cap. 34. *Timentis Dominum beata est anima eius.*  
 Psalm. cxl. *Beatus vir, qui timet Dominum: id est, beatitudo*  
 viri est Timor Domini. ergo Timor est consummatio,  
 ergo, phrasi architectonica, Tectum.

HÆC robur accipiunt ex eo, quòd Timor dicatur su-  
 perimponi, nempe, aliis ædificii partibus. Ecclesiastici  
 xxv. *Timor Dei super omnia se superponit* Hoc si Architectus  
 audiret, asseveraret profectò, Timorem in Virtutum æ-  
 dificio Tectum esse. Græcè est, ὑπερβαλεν, id est, superat,  
 vel excellit, nempe, ut tectum parietes. In eundem sen-  
 sum dicitur, *Corona Sapientia Timor Domini*, Ecclesiastici.  
 Quamobrem qui Timorem DEI habet, tanquam quia  
 summitate domus consistit dicitur quolibet magno  
 major. Iterum advoco Ecclesiasticum, qui cap. x. *Magnus*,  
 inquit, *& iudex & potens est, & non est major illo, qui timet*  
 DEUM. Alibi admirandus ad conspectum gigantes-  
 illius formæ, quem exaltavit Sapientia exclamat, Eccle-  
 siastici xxv. *Quàm magnus, qui invenit Sapientiam, & scientiam,*  
*sed non est super Timentem Dominum.* Distinguitur  
 Sapientia à Scientia, quod Scientia accipiat pro cog-  
 nitione intelligibilium ac speculabilium, Scientia pro no-  
 titia agibilium circa quæ versatur Prudentia, Magnus est  
 autem & excellens, qui assequutus est divino munere  
 eximiam præ ceteris Sapientiam ejusmodi, qua potest  
 est alios docere, quæ de DEO divinisque sentienda sunt  
 divinas Scripturas explicare, veritatisque hostes redar-  
 guere. Magnus item, qui præ ceteris adeptus est Scien-  
 tiam agendorum, ut & agnoscat, quid in singulis nego-  
 tiis occurrentibus sibi sit agendum, & alios docere ve-  
 leat, salutare consilium tradendo. Sed neuter attingit  
 celsitudinem Timentis DEUM. Itaque Timens Domi-  
 num est in altiori loco constitutus: nempe, in tecto do-  
 matis.

QVOD

QVOD autē dicitur, *Initium Sapientiae Timor Domini*,  
 sive, ut alii legunt, *Principium*; ut nonnulli, *Caput*; Græcè,  
 ἄρχη. Hebraicè, ראשית, *reschith*, ne his videatur adversa-  
 ri, significare potest, quod præcipuum est, ac primum  
 tenet non tam ordinis, quàm dignitatis locum. Sic Ec-  
 clesiastici xi. *initium* sumitur pro summo ac perfecto,  
 dum dicitur: *Brevis in volatilibus est Apis, & initium dulco-  
 ris habet fructus illius*: hoc est, summum perfectumque  
 dulcorem: nempe, supremum apicem dulcedinis, seu  
 principatum in dulcedine. Simili modo. Jacobi i. dicun-  
 tur fideles *Initium creaturæ DEI*: *Voluntariè genuit nos,  
 Verbo veritatis, ut simus INITIUM aliquod creaturæ ejus*: id est,  
 ut eruditi Interpretes exponunt, primitiæ, fructus excel-  
 lentissimus. Quomodo quidam (a) dictum putant: *Ini-  
 tium Sapientiae*, hoc est, primitiæ, & interpretantur, pri-  
 mum ac præcipuum fructum. S. Thomas (b) sanè, *Ini-  
 tium Sapientiae* dixit esse *Timorem Domini*, id est, *pri-  
 mum Sapientiae effectum*. In ea sententia videtur esse S. Am-  
 brosius in psalmū cxviii. cuius illud est argumentum:  
 quod cum Isaias Propheta cap. xi. enumerat Spiritus-  
 sancti dona, ultimo, id est, altissimo loco, *Timorem* no-  
 minat: *Requiescet, inquit, super eum Spiritus Domini: Spiritus  
 Sapientiae, & intellectus: Spiritus consilii, & fortitudinis: Spiritus  
 scientiae & pietatis, & replabit eum Spiritus Timoris Domini*.  
 Eundem sensum indicat S. Nazianz. oratione xxviii.  
 cum respondet obijcientibus sibi imperitiam, confiten-  
 do, si quidem probent, se in schola Timoris Domini  
 fuisse rudem, expertemque vixisse Timoris illius: quia  
 hic *Timor*, ait, *Initium Sapientiae dicitur, immò, & Finis sermo-  
 nis ab Ecclesiaste. Clemens quoque Alexandrinus in se-  
 cundo Stromatum Timorem fundamento fidei post-*

Secunda pars.

A a

ponit

(a) Pineda Job 28. n. 5. (b) 2. 2. q. 19. art. 3. (c) S. Ambros. in psal.  
 118. octon. 5.

ponit: *Fides*, inquit, *est prima ad salutem inclinatio*, postquam  
*Timor*, *spes*, *pœnitentia*. *Timor* igitur, non tam Funda-  
 mentum Domus Sapientiæ, quàm Tectum dici debet.

## ARTICULUS II.

TIMOR DOMINI FUNDAMENTUM

*Ædificii Spiritualis.*

**V**ERVM alii quàm plurimi sacræ Architecturæ Ma-  
 gistri, mirabili consensu; immò illi ipsi, quos lau-  
 davi, diversis librorum suorum locis, constantissimè ad-  
 firmant, Domus Sapientiæ Fundamentum esse Timo-  
 rem Domini. Hos ut nominem fideliter, observo.  
 Quod Latinis est *Initium*, Græcis, ἀρχή, Hebræis *rescith*,  
 trifariam exponi ab Interpretibus divini Codicis. I. ut  
 significet primitias Sapientiæ: quod quicumque sapiens  
 incipit, DEO Timorem, ut primum gratum quæ fructum  
 soleat offerre. II. ut indicet, Timorem esse caput, et  
 præcipuam Sapientiam: quem qui non habet, reverentiam  
 nihil sapiat. III. ut idem sit, quod elementum, radix,  
 fundamentum. Nomino igitur imprimis eos, qui In-  
 tium Sapientiæ hoc tertio modo accipiunt, & ædificii  
 spiritualis inchoationem & exordium dicunt esse à Deo  
 Timore, veluti à Fundamento. Quæ est communis S. Patrum  
 & sacrorum Interpretum explanatio. Imprimis  
 verò S. Augustini libro secundo de Doctrina Christiana  
 cap. VII. Clarissimè etiam S. Bernardus, tractatu de Doctrina  
 Spiritus-sancti cap. I. *Prima gratia est Timor Domini. Et  
 Mox, Sine hac gratia prima gratiarum, quæ totius religionis ex-  
 ordium est, nullum bonum pullulare, vel manare potest.* Exordium  
 vocat.

TIMOR DOM. FUNDAMENTUM. 381

vocat. Quod autem est in Rhetorica exordium, in Architectonica dicitur Fundamentum. Quo vocabulo, ne quis supersit dubitandi locus, utitur antiquissimus Tertullianus, qui initio libri de cultu fœminarum: TIMOR, inquit, FUNDAMENTUM est salutis. *Timendo cavebimus: cavendo salvi erimus. Qui sollicitus est, is verè poterit esse securus.* Quæ loquutio, tanquam Magistri sui, quo titulo honorabat Tertullianum Cyprianus adeò huic placuit, ut libro tertio ad Quirinum cap. xx. eandem usurparit, non sine addito, quod conceptionem nostram promoveret, dicens, esse *Fundamentum & firmamentum spei ac fidei Timorem*; juxta illud: *Initium Sapientiæ Timor Domini: &* ut in Sapientia Salomonis dicitur: *Initium Sapientiæ metuere DEUM.*

ARTICULUS III.

SIMILITUDINES VARIÆ,

*Quibus persuadetur, Timorem Domini Fundamentum esse Domus Sapientiæ; & posse dici primam Virtutum.*

HÛc facit imprimis comparatio S. S. Augustini & Gregorii, qui, dum conferunt septem dona Spiritus sancti cum septem Beatitudinibus Evangelicis à Christo D. traditis, *Donum Timoris* comparant cum Beatitudine primâ, quæ est Paupertas in Spiritu: *Beati pauperes Spiritu. Timor DEI*, inquit Augustinus. *libro de Serm. D. in Monte, cap. 9. congruit humilibus, de quibus dicitur: Beati pauperes Spiritu: id est, non inflati, non superbi: de quibus Apostolus dicit: Noli altum sapere, sed time; id est, noli extolli, ad Roman. xi. Nec movere debet, quod Timor inter Dona S. Spiritus postremo nominetur loco. Nam sensu D. Gre-*



gorii, Homil. xix. in Ezech. Dona Spiritus ab Isaia numerata sunt, descendendo à cœlestibus atque perfectioribus ad inferiora, ac minus perfecta, id est, à Tecto, ad Fundamentum. Quapropter à S. Basilio, Timor vocatur Isagogicus, seu Introductorius. *Necessariò, inquit, velut Introductorius ad pietatem Timor adsumitur. Caritas verò à Timore instructivo exercitatos suscipiens perficere solet.* Ac si dicat architectonica circumloquutione; Caritas est tectum, sed Timor fundamentum. Eodem spectat similitudo S. Bernardi, petita à Radice, quæ fundamentum est arboris. *Timor Domini, ait, radix est, & custos omnium bonorum. Unde scriptum est: Si non Timore Domini tenueris te, instanter citò subvertetur domus tua: omne namque virtutum edificium illico vergit in precipitium, si hujus gratia amisserit praesidium.* Ex quo colligas, existimasse S. Bernardum, Timorem Domini non esse Tectum: nam eo ablato non corruit domus, sed Fundamentum, quo vel labefactato, concidit.

Quid S. Ambrosius, cujus mens contraria videbatur. Apertissimè Timorem nominat *Basim* in psalmum cxviii. ser. 5. sic scribens: *Verè Sapiëntia à Timore incipit: nec est Sapiëntia spiritualis sine Timore Dei. Basis quaedam Verbi est Timor Sancti.* Sicut enim simulacrum aliquod in basi statuitur, & tunc majora habet gratiã statua, cum in basi fuerit collocata, standiq; accipit firmitatē; ita Verba DEI vel rationale DEI in Timore Sancti melius statuitur, & fortius radicatur: hoc est, in pectore timoris Dominū, ne labatur Verbum de corde uniuscujusque. Mox adjungit. *Quia Basim Verbi Timorem diximus, ne quid dicitur à Scripturis potuisse nos quisquam putet, accipiat lectum à DEI Verbo in Canticis Canticorum: Cant. v. 15. Cura epæ Columnæ marmoreæ fundatæ super bases aureas*

(a) S. Basil. hom. 8. in Psal. 32. Dorotheus doctrina 4. Nicetas comm. in Nazianz. Beda Prou. 1. & 7.

significans Columnas esse Ecclesie Apostolos, qui fundati sunt in Timore sancto. Basis autem aurea Timor est plenus disciplina: quia initium Sapientie est. Timore ergo Sapientia Apostolicae praedicationis nititur, & velut super basem auream columna confirmatur. Et vide tanquam basim auream esse Sanctorum Timorem. Lege Isaiam Prophetam. Vide quantis subjecerit Timorem, ut faceret irreprehensibilem & bonum Timorem. Spiritus, inquit, Sapientiae & Intellectus, Spiritus consilii & virtutis, Spiritus cognitionis atque pietatis, Spiritus sancti Timoris. Quantis Timorem subjecit? informatur per Sapientiam, instruitur per intellectum, consilio dirigitur, virtute firmatur, cognitione regitur, pietate decoratur. Si itaque Timor est Basis, fundamenti rationem habet.

D. Nazianzenus, Elementum vocat, cui insistimus. Non nemo (b) Pedem montis Sapientiae. Fert animus, inquit, & juvat, ad verae Sapientiae culmen pervenire: primum cogitate de hoc Montis pede: videte, an DEUM timeatis. D. Antonius, teste Athanasio in Vita concipiebat Timorem velut Rupem aut petram cui anima incumbit & in qua sustinetur. Formido Judicis DEI aiebat (c) & poenarum timor, tum lubricae carnis incentiva dissolvit, tum ruentem animam quasi ex praecipitio sustentat: nempe, excipiens cadentem ex rupe in rupem alteram. Alia est imago symbolica S. Augustini (d) comparantis Timorem DEI, cum seta, quam lino involvunt lutores, ut extet acuties, sicque per corium transmittant. Itaque existimabat, Timorem esse primam ordine inter virtutes ceteras. Timor, inquit, quasi locum preparat caritati. Si nullus Timor non est, qua intret Caritas. Sicut videmus per se tam introduci lino, quando aliquid sinitur. Hanc

Aa 3

D. Au-

(a) Nazianz. or. 39. (b) Lact. 32. specul. Maria. Delt. (c) S. Anton. S. Athanas. in Vita. (d) S. August. tract. ix. in Epist. Joan.

D. Augustini similitudinem ex sutoria arreptam officina pluribus explicat Honorius in Canticor. viii. & notat Sutori necessaria esse, corium, ferrum, setam, linum. Corio comparat animam; ferro, seu acui sutoriae Timorem servilem; setae suillae Timorem initialem; lino Timorem filialem. Sicut autem subula corium perforatur, sic Timore servili anima transfigitur, & reliqua immittuntur.



## SERMO XII.

### TIMORIS SPECIES

#### *Praambulum.*

**C**UM tam sint multi spiritualis vitae Magistri, qui Timorem, ut Fundamentum Aedificii spiritualis habent, alii vero eundem, ut Tectum praedicant, reor distinctione, utriusque partis patronos conciliari posse: Sic namq̄, statuo. Esse Timorem quendam, qui neque Fundamentum, neque Tectum dici possit: aliquem qui Fundamenti, alium qui Tecti rationem habeat: nec deesse, qui utriusque rationem participet. Quod ut ab omnibus intelligatur instituenta est divisio in membra, sive species, aut genera, quae idem hic valent.

#### ARTICVLVS I.

##### TIMOR NATURALIS.



ISPESCO Timorem in quinque genera. Vt  
I. sit Naturalis. II. Mundanus. III. Servilis.  
IV. Filialis, vel Castus. V. Initialis. NATV-  
RALIS

RALIS est adfectio quædam appetitus sensitivi, & significat nobis, imminentis mali fugam; estque insita à naturâ animalibus, ideoque non hominibus modò, sed etiam brutis. Hæc licet bona sit physicè, seu naturaliter, quia ad multa commoda ab Auctore naturæ est ingenerata animalium generi, ut docet *Orat. contra Iram S. Basilii*; tamen, cùm in nostrâ non sit potestate, non potest moraliter dici bona, vel mala: ac proinde de eo Timore non est nobis sermo. Siquidem ad nos ille Timor spectat, qui dicit relationem quandam certam ad DEUM. Quod nõ convenit naturali, qui secũdum se consideratus, nec convertit ad Deũ, nec avertit à Deo: moraliter indifferens. Quod si avertit à Deo, ut fit, quando quis propter malum, quod timet, Deum offendit, aut paratus est offendere vel derelinquere, vocatur *Timor Mundanus*. Si autem propter malum formidatum, ad DEUM convertitur timens, plura sortitur nomina. Si enim convertatur, quia timet malum pœnæ, dicitur *Timor servilis*. Si, quia timet malum culpæ, vocatur *Filialis*. Si quia utrumque simul, nuncupatur *Initialis*.

## ARTICVLVS II.

## TIMOR MUNDANVS.

IS ita nominatur, quia est hominum, mundum, & quæ in mundo sunt nimium amantium, ac proinde ea amittere præposterè metuentium. Si quis igitur ita reformidet aliquod hujus vitæ incommodum, vel pœnam, ut ad illud depellendum, vel evitandum, non dubitet offendere Deum mortaliter, agitur Timore Mundano. Quo abreptus fuit Petrus, quando Christum negavit.

Aa 4

Est

Est hic Timor apertè malus & noxius, Quem Christus vetuit apud Matthæum cap. x. 28. *Nolite timere eos, qui occidunt corpus* Et S. Petrus post resipiscentiam, epistola 1. *Timorem eorum ne timueritis.* Ab eodem liberari petebat David, cum sic precaretur: Ps. 63. 2. *A timore inimici eripit animam meam*, ut exponit S. Basilius. homil. 5. in psal. 33. Oritur Timor iste ex amore vitioso, quo quis diligit inordinatè res mundi, divitias, honores, voluptates, vitam corporis, alios, aut seipsum. Inordinatè autem ista diligit, quando ut ultimum finem diligit, sic amando, ut paratus sit propter illa Deum deserere, aut aliquod legis ejus præceptum ad mortale obligans transgredi. Quia ea igitur inordinatè amat, timet etiam inordinatè eadem amittere. Quantus est, & qualis amor fruendi, tantus & talis est timor perdendi. Est autem Timor istiusmodi semper lethale peccatum. Ah! quor est malorum Timor iste causa! Timet virguncula honestam paupertatem, sed duram, & thesaurum virginitatis prostituit. Metuit eandem, ut horridam, adolescens: & idcirco clepit, harpagat, defraudat, densum accumulat contra se rerum malè partarum lutum. Formidat aliqui excidere amicitia lucrosa hominis divitis: ea propter mentitur, lenocinatur, fidem vel simulat, vel negat. Quoniam se non demittit aulicus ambitiosus? Quidnam non designat homo venerens ut in amicæ suæ amorem se insinuet? vel in ejus non incidat indignationem? Incredibilia sunt, sed certa, in hoc genere, quæ referre possem, sed nolo, neque expedit. Quæ causa rapinarum, hypocrisis, perjuri, hæresis, apostasiæ crebriorum: quàm Timor iste Mundanus?

Hic igitur neque Fundamentum est Domus Sapienciæ, neque recti rationem habet: immò, ædificationi spiritualis est maximum obstaculum. Adeò, ut S. Thomas

mas

mas Aquinas oppositam illi virtutem, Fortitudinem posse dici Fundamentum existimet. Nam S-S<sup>da</sup> quæst. IV. art. 7 quærenti, An Fides sit prima virtutum? responderet, Fidem, quâ principale fabricæ spiritualis Fundamentum, esse haud dubiè primam: nihilominus quandam aliam, indirectè, quatenus removet obstaculum ponendi fundamentum, posse dici priorem. Et præter Humilitatem, nominat Fortitudinem, quatenus aufert inordinatum Timorem impediens fidem. Multi enim non jaciunt firmum fidei fundamentum, Timore mundano præpediti. Joannis XII. *Ex principibus multi crediderunt in eum: sed propter Phariseos non confitebantur, ut è Synagoga non eijcerentur: dilexerunt enim gloriam hominum magis, quàm gloriam DEI.* nimirum, amabant inordinatè gloriam mundanam: hinc Timor amittendi *Mundanus*. Joannis IX. parentes cæci nati cùm interrogarentur: *Hic est filius vester, quem vos dicitis quia cæcus natus est, quomodo ergo nunc videt?* Responderunt, *scimus quia hic est filius noster, & quia cæcus natus est: quomodo autem nunc videat, nescimus: aut qui ejus aperuit oculos, nos nescimus: ipsum interrogate, et atatem habet: ipse de se loquatur.* Quare non confitebantur clarè, & Christo dabant gloriam? *quoniam timebant Iudæos:* jam enim conspiraverant Judæi, ut si quis eum confiteretur esse Christum, extra synagogam fieret. Timore mundano percussus Petrus ter Dominum negavit, Joannis XVIII. In veteri Testamento, tempore Antiochi & Machabæorum plurimi ex Judæis Timore mundano defecerunt à fide, facti idololatræ. Ex Timore mundano scaturit olim in Ecclesia Christiana Crimen Traditorum: de quo frequens est mentio in schismate Africano. Propter Timorem istum Helæsaïtæ, putarunt fidei fundamentum moveri posse. Hos sequuti Priscilianistæ illud mysticum jactabant:

Aa 5

Iura,

*Iura, periura, secretum prodere noli.*

Eodem Timore correpti non pauci, in Britannia, Hollandia, Germania, Lutherani, Calvinistæ, Pseudopolitici omnem religionem simulant. E Catholicis tepidi, conjungunt se hæreticis, aut, si non amplectuntur, hæresim non damnant, ore ac conversatione, si non corde fidem abnegantes. Quare per quàm accommodè Tertullianus, in Scorpiæ. c. 12. Timorem illum vocat *auferrem negandi*. Et D. Gregorius Nazianzenus scitè dicit Oratione 1. de Pace: nihil perinde timendum esse, quàm ne quid magis quàm DEUM timeamus, ob eamque causam fidei virtutisq; cujus servi sumus, causam deseramus. Eodem intuitu S. Basilius in Psal. xxxiii. Timorem mundanum appellat *hostilem*, sive quia ab hoste salutem contra salutem inijcitur, sive quia defectionem ad castra hostilia suadet: atque ita exponit precationem illam Davidis Regis: *A timore inimici eripe animam meam.* Psal. lxxii. Itaque qui in fide ac pietate optimè fuerunt radicati & fundati, *Timorem Mundanum* procul ex corde suejecerunt, Virgines castæ, juvenes pudici, viri honesti, Catholici ferventes, Martyres invicti: memores monitionis dominicæ, (a) *Nolite timere eos qui occidunt corpus*: & Apostolicæ, (b) *Timorem eorum ne timueritis, neque conturbemini.* Item: (c) *Non dedit nobis DEVS Spiritum Timoris, virtutis, & caritatis & continentia.* Quibus convenit etiam mos protestatio Davidis: *Dominus mihi adjutor, non timebo quid faciat mihi homo.* (d) *Si consistant adversum me castra, in hoc ego sperabo.* (e) Ex his constat, *Timorem Mundanum* dici posse *Fundamentum Domus Insipientia*: enim insipientia peccatum omne, & insipientes, ac stulti peccatores: non *Domus Sapientia*, aut virtutis. *Timor mundanus* *Fundamentum* est *Babylonis*, civitatis terre-

(a) Matt. 10. Luc. 12. (b) 1. Petri 3. 14. (c) 2. ad Timotheum. 1. Psal. 117. 6. 7. (e) Psal. 26. 3.

terrenæ, non Jerusalem, civitatis cœlestis, Sed nos Fundamentum Domus Sapientiæ inter Timorum species inquirimus.

## ARTICULUS III.

## TIMOR

*Servilis. Filialis. Initialis.*

*Quis-nam ex iis sit Fundamentum Domus Sapientiæ.*

TIMOR SERVILIS dicitur, quo quis timet pœnas à Deo constitutas peccatoribus; atque ita movetur ad benè agendum, ut pœnas illas evadat. Seu, quo malum vitat, & bonum operatur, timore gehennæ, ne à Deo in hoc seculo, aut futuro puniatur. Oritur Timor iste non proximè, neque propriè ex amore DEI, sed ex amore sui, non tamen per se malo: quo nimirum quisque amat incolumitatem suam suaque commoda. Vocatur *Servilis*, quoniam mos servorum est, obsequi dominis non ex amore ipsorum, sed ex amore sui, ne vapulent, si non obsequantur. *Timor*, inquit Augustinus, Conc. 25. in psal. 118. *quo non amatur iustitia, sed timetur pœna, Servilis est.*

TIMOR FILIALIS est ille, quo quis timet offendere DEUM, & ideò non audet ejus transgredi præceptum, ne gratiâ ejus excidat. Nascitur ex amore DEI filiali, qualis cernitur in bonis filiis erga parentes, quos metuent offedere. A. D. Augustino in psal. cxviii. exponente illud *Confige timore carnes meas*, vocatur *Castus*. Clarè S. Dorotheus: doctrina 4. *Quàm primum filius ad virilem & prudentem ætatem perrenerit, voluntatem & mandata patris sui præcipit, non timore, ne cadatur; neque concupiscentia, ut mercedē,*

aut



aut stipendium ab eo capiat, sed quia illum diligit, veneratur & colit. & caritatem unice observat. Qui huiusmodi est. jam audire meretur: non es servus, non mercenarius, sed filius & heres.

TIMOR INITIALIS est, quo quis ita timet offensivam DEI, ut simul etiam timeat pœnam: & idcirco est Timor filialis imperfectus; vel Timor mixtus ex filiali, & servili. Quare, cum Tectum ædificii spiritualis aliquantione sit Timor filialis, ut suo loco demonstrabitur; & Fundamentum tantum, Timor servilis, ut mox patebit, de tecto & fundamento participabit Initialis. DICATUR igitur, inter Timoris species, Fundamentum simpliciter esse illum, qui vocatur *Servilis*: à D. Basilio nominatus *Isagogicus*, seu introductorius. Sed Fundamentum, ut nuper de Humilitate probabam, secundarium, & non nisi indirectè, ac dispositivè, removendo præsumptionem, arrogantiam aut superbiam, quæ impedit ædificationem, & collocationem fundamenti primarii, quod est Fides. Certè, vix ullus fundamentum Fidei suo in fundo ponit, nemo penè, aut ordinariè nemo, iustificationis palatium erigit, communi modo nemo ædificat Domum Sapientiæ, nisi Timore servili solum suum præparaverit. Atq; de hoc Timore interpretor celeberrimè illud dictum, *Initium Sapientiæ Timor Domini*. Quod de Servili intellexerunt antiquissimi & gravissimi Patres, tanto consensu, ut contra velle asserere, temerarium videri possit. Sic enim docent, Clemens Alexandrinus, (a) Basilii, (b) Nazianzenus, (c) Hieronymus, (d) Augustinus; (e) Bruno, (f) Theodoretus, (g) Salonius, (h) Beda, (i) Eorundem sensu accipio τὸ *Initium*, ut idem sit, quod primum elementum, fons, radix, & secundum archæ-

Etionicam,

(a) lib. 2. Strom. (b) homil. 9. in psal. 33. (c) Nicetas comm. in Gen. 2. de Pasch. Nazianz. (d) in 1. cap. Malach. (e) in cap. 1. Prou. tract. 9. (f) in psal. 119. (g) in psal. 110. (h) in 1. Prou. (i) in 1. Prou.

etoniam, *Fundamentum Sapientie*: ut superius est satis declaratum. Et ne lateret ambiguitas in vocabulo Hebraico *רֵשִׁיִת* *reschith*, Eccl. 1.16. *Initium Sapientie*, Latine vertitur: & Proverbiorum 1.7. *Timor Domini principium Sapientie*. Iterum Proverbiorum 19.10. *Principium Sapientie Timor Domini*: ubi non est *reschith*, ut in priori loco, sed *רְחִלָּת* *thehillath*; quæ vox non significat unquam principatum, aut primitias, sed simpliciter, ac propriè dictum in ordine vel loci, vel temporis initium, quod veteres vocabant *incipium*. Est igitur sensus, secundum litteram, moribus informandis accommodatus: Veram, perfectamque Sapientiam, quæ est virtutum omnium in unam veluti Domum conformatarum apta ad inhabitandum dispositio, non inchoari à multa variaque lectione, non à multiplici rerum cognitione, non à vehementi animi contentione, aut ab acutâ speculatione, non à peregrinatione, à linguarum peritia, à nationum procul distitarum notitia, ab artium scientiarumque investigatione, sed à Timore Domini, & eo signatè, qui dicitur *Servilis*. Hunc esse substructionem Fidei, hunc *Magogen* ædificationis spiritualis, denique, hunc esse *Fundamentum Domus Sapientie*. Tunc ædificare incipimus, quando *DEUM* universorum *Judicem*, & quas inobedientibus, ingratis, prævaricatoribus minatus est pœnas, incipimus metuere.

Quomodo Timorem Servilem esse salutis initium & fundamentum, præter nominatos PP. scribunt Philo Carpathius, & Severianus commentario in Cantic. cap. VIII. Vulgatum est illud Augustini libro de catechizandis rudibus: *Rarissimè accidit, immò, ferè nunquam, ut quisquam veniat volens fieri Christianus, qui non sit aliquo DEI Timore percussus: quo illo? Servili.* Quod si Christianus in fide firmus, meditetur conversionem ad vitam perfectam,

Apo-

Apostolicam, religiosam; iterum à *Timore Servili* sumitur exordium. Sic Joannes Cassianus, cujus hæc est sententia lib. iv. Institut. Monasticar. cap. 39. *Per Timorem DEI & initium conversionis, & vitiorum purgatio, & virtutum custodia his, qui imbuuntur ad viam perfectionis, acquiritur.* Illorum sunt voces, quæ fidelium apud Prophetam (a) prolata, probataque, *A timore tuo concepimus, & peperimus spiritum salutis.* Denique verissimum est illud Ecclesiastici. (b) *Qui timet DEUM convertetur ad cor suum.* Itaque initium conversionis, ut benè dixit Cassianus, nempe, ad vitam perfectam, ad statum religiosum, ad Monachatum, ad cœnobium, ad eremum, est Timor: non dixit est desperatio. Desperatio pendulum facit ex furca vel arbore, cum Juda, non Monachum in solitudine aut cella cum Francisco. Falsum est istud popelli, & blasphemum, si universè intelligatur. Desperatio facit Monachum: & illa potissimum desperatio, quam vulgus insinuat, de opulenta aliqua sponsa ducenda. Scilicet! desperatio de consequendo illius consortio, & cū illa individua vitæ societatem ineundâ, quam bona ne an mala, dolosa an fidelis, trux venefica, an amabilis & pacifica sit futurum ignoras, quæ fortè te ad extremam calamitatem redeget, omnium tibi futura malorum causa, nullius boni sit satis, ut prudentem æterno religionis includat carceri, quæ hæc insania? Non desperatio de sponsa, sed Timor Judicis & gehennæ implet monasteria ac solitudines. *Initium Sapientiæ Timor Domini. Fundamentum Ædificii spiritualis Timor est, non desperatio.*

(a) Isa. xxvi, secundum lxx. (b) Eccl. xxi. 7.



S E R M O XIII.

TIMOR DOMINI

*Quomodo secundum Architectonicas regulas, esse, ac dici possit Fundamentum Aedificii spiritualis.*

IS non cuilibet est obuius, quum omnes fundamenti jaciendi modos FIDEI & Humilitati applicasse videamur. Sed diligenti investigatione deprehendimus ex Architecturae arcanis, esse quandam fundandi rationem, quae non nominatis illis virtutibus, sed Timori Domini competat.

ARTICULUS I.

SUBSTRUCTIONES IN SOLO PALUSTRI

*Per Carbones, & Lana vellera.*

MAGNIFICENTISSIMA Aedes fuit Ephesiae Dianae, quae ducentis annis & viginti aedificata est à tota Asia. (\*) Sed nihil in ea fuit admirabilius, quam Fundamentum par tanto aedificio. Mirabantur quidam longitudinem, quae erat quadringentorum viginti quinque pedum: alii latitudinem, quae erat ducentorum viginti: nonnulli columnarum multitudinem, nam numerabantur cxxvii. à singulis Regibus factae, pedum sexaginta amplitudine: ex iis xxxvi. erant caelatae. Sed plus admiranda-

(\*) Plini lib. 7. cap. 33. Strabo lib. 14.

mirationis habuit Fundamentum, de quo cū confu-  
tarent artifices, auctor fuit Theodorus nobilis Archite-  
ctus, cū Chessiphrono Gnosio, ut collocaretur in loco  
palustri, ne terræ motus sentiret, aut hiatu subsideret.  
Verūm, dubitantibus, quomodo solum firmari posset,  
ut fundamentum sustineret, asseruit Theodorus, sub-  
ciendos esse carbones, deinde velleribus lanæ calcen-  
dum. Ita factum. & sic locus, cū humidus antea esset,  
soliditatē accepit, instar saxi, factus immobilis, (a) In  
palustri, inquit Plinius, ideo fecere, ne terræ motus sentiret, &  
hiatus timeret: rursus, ne in lubrico atque instabili fundamēto  
tanta molis locarentur, ante calcatis in ea substravere carbone-  
bus: deinde velleribus lanæ. Approbat hunc fundandi mo-  
dum Vitruvius (b) in suis architectonicis, quem ad rem  
nostram accommodemus.

(a) Diogenes. Pausanias. Plin. lib. 36. cap. 14. (b) Vitruvius lib.  
3. cap. 3. & lib. 5. cap. 12.

## ARTICVLVS II.

## ANIMA HUMANA

*Humus & est paludosus. Carbo Timoris Domini Symbolum.*

**Æ**DIFICAMUS Domū Sapientiæ in solo palustri. In  
sanè rectè concipitur Anima hominis, quæ limosa  
est, & obducta perturbationum stagnantium aqua: se-  
ccatur facilè ad solis Justitiæ ardorem, in gratiæ peccati-  
liaris æstate; licet abundet undis in sæva tentationum  
hieme, ac desolationis bruma. Quod autem in humo  
paludosa accidit, id in nobis experimur. Sunt in anima  
velut coaxantes ranæ passionum, lumbrici affectuum  
limus imperfectionum, cænum cogitationum vanitas  
marum.

marum. Unde est impura mortua, deses. Verum, in palustri fundamentum non ponitur, nisi fuerit tellus in aquosa, nempe, sine aquâ, quæ vel exsiccata fuerit, vel haustoriis instrumentis educta, vel alium in locum derivata. Accommodatè ad institutum nostrum S. Ambrosius (a) disputans de deserto, in quod secessit Christus Matthæi iv. docet, libenter illum in nobis habitare, vel in Domo Sapientiæ, quæ est Sapientia Incarnata, cum corporis nostri quasi terram fame squalidam, ac siti aridam reperit. Quare necessarium est, ut humus nostrâ sit deserta à mundanis deliciis, in via diabolicis concupiscentiis, in aquosa libidinis illecebris. Nimirum alludit ad illud psal. lxxii. *In terra in via & in aquosa, sic in Sancto apparuit tibi.* Simile quid scribit S. Hieronymus, (b) qui censet, neminem esse Dni habitaculum, nisi prius in eo invenerit terram desertam à vitiis, & in viam adversariis potestatibus, & absque humore ac rheumate vllius libidinis.

Nunc autem, quoniam Anima nostra est velut terra palustris, aquosa, ideoque lubrica & instabilis, quid facto opus, ut fundamentum tantæ molis, quanta est Domus Sapientiæ, sustineat? Imprimis oportet substernere calcatos carbones. CARBO symbolum est TIMORIS DOMINI. quod ne fingere videamur ex ipsis oraculis divinis est confirmandum. Ex iis autem deducitur, duplici nomine Timorem Domini Carbone, tanquam symbolo, significari. Primo quidè, quia omnia Spiritus sancti dona, inter quæ Timor, ut Carbones igniti concipiuntur, eam ipsam ob causam, ob quam Divinus Spiritus igneis in linguis, id est, carbonibus, in linguarum formam efficitis Apostolorum verticibus insedit. Sive

Secunda Pars.

Bb

quod

(a) S. Amb. ser. 37. edit. veter. vel 39. Rom. aut ser. 77. de temp.  
 (b) S. Hieronym. epist. 46.

quod se Patri consubstantialem, simulque Filium Dei vellet ostendere; vocatur enim *Deus Ignis*, Deuteronomii xxxxi. sive quod se vim purgandi, convertendi, consumendi habere hoc symbolo indicaret. Sive quod revera is sit, de quo canit veritatis assertrix Ecclesia:

*Fons vivus, IGNIS charitas.*

rectè igitur Dona divini Spiritus veluti Carbones animo obijciuntur.

HORUM autem multiplex est usus: nam præterquam quod ad fundamentum Domus Sapientiae adhibeantur, ut postea explicabitur, ollis eos suis Deus subijcit, calorem iis in aquam frigidissimam, & congelatam inducit, frigus educit, eduliaque in iis constipata epulis de vinæ mentæ parat, quæ sunt bona desideria in animi carbonibus illis benè cocta. Ego certè sæpenumero animam humanam concipio ex Jeremia Propheta, ut Ollam, primùm algidam peccati glacie, mox tepidam Timoris servilis carbonibus substratis, tandemque effervescentem Timoris filialis flamma crepitate. *Factum* inquit Propheta cap. i. Jer. i. 13. *Verbum Domini se cunctis me, dicens. Quid tu vides? & dixi, Ollam succensam ego video, & faciem ejus à facie Aquilonis.* Hanc Ollam symbolicè designare animum perversum infidelium Hebræorum estimat S. Gregorius: (a) glaciem autem & frigus, in datam eorundem perfidiam à malo Aquilone provenientem. (b) Ego magis universè, peccatoris cujuslibet oblati cor concipio, instar Ollæ ferreæ, quæ plena sit aqua congelata. Miser homo, qui talem circumfert ollam, sed miseræ hujus non est remedium, nisi per misericordiam, qua motus Dominus, mittit è cælo carbones, & gelu solvat. Cor hominis criminosi, velut Ollam carbones cœlestes, Dona Sancti Spiritus, & Timoris potest

(a) Homil. 3, in Ezech. (b) lib. 29. Moral. cap. 21.

mum si cingant, solvitur pervicaciæ glacies, obduratio  
pauulatim colliquescit per timorem ser vilem: si accedat  
initialis, & cum filiali ardor caritatis, cordis intima in-  
flammanur, & conversus ad DEUM desinit esse, qui fuit,  
& incipit esse, qualem se sentiebat, qui instanter orave-  
rat. *Cor mundum crea in me DEUS, & Spiritum rectum innova  
in visceribus meis.*

JAM verò, Carbones, Timorem Domini, quem Ser-  
vilem dicimus, & ædificii spiritualis est fundamentum,  
alio nomine peculiariter exprimunt, quoniam pœnas  
impiorum, temporales & æternas, flammam gehenna-  
les, DEUM que ut justissimum & severissimum Judicem  
malefactorum symbolicè denotant. Ita *Carbones desola-  
torios* exponit S. Basilius, considerans illud psalmi cix.  
*Sagitta potentis acuta cum carbonibus desolatoris*, quia deso-  
larum faciunt eum, qui pœnas illas sustinet, lxx. Inter-  
pretès habent, *ὡς θανάσις ἐν γυνυροῖς*, quasi desolantes, quod  
nimirum desolationem talem inducant, ut omnia redi-  
gant in solitudinem, sicut ignis devorans, ædes, civitates,  
populos, provincias, omnia. Nebiensis legit, *cum carbo-  
nibus genistarum ardentibus gehenna inferius*. Quo indicatur  
inferni pœna ignis diutissimè durantis, nempe, in per-  
petuum. Idem significavit Nicetas doctus Nazianzeni  
Scholiastes, Orat. 42. Interpretans Carbones istos vin-  
dices & malos. Rabbi Salomon quoque explicat de  
igne gehennæ inextinguibili, quo puniantur Babylonii,  
qui vexaverunt in captivitate populum Israël. Alii apud  
S. Chrysostomum legunt: *cum carbonibus constipatis*. Non-  
nulli, *cum Carbonibus in lecti formam constrictis*. quo nihil  
fingi potest accommodatius, ad miserimum damnato-  
rum situm inter flammam cubantium exprimendum.  
Et passi sunt quid simile Martyres aliqui, in carbonibus  
cōstrata culcitra resupinati. S. Hieronymus legit, *Carbo-*



*nes juniperorum, Quidam alii, genistarum.* Certè juniperorum carbones diutissimè ignem conservant, suntque ardentissimi, & cum videantur foris extincti, redactique in cineres, interius ardent, ut tradunt Plinius & Theophrastus. (a) Confirmat ea S. Isidorus, (b) & inter etymologias hanc adfert de Junipero, quod ab amplo in angustum finiat, ut ignis: sive quod conceptum diutè neat ignem, adeò, (c) ut si primæ ex iis cinere fuerint coactæ, usque ad annum perveniant. Quod *vulgè* apud Græcos ignis dicatur pueris norum est: illud etiam in confesso, diutissimè in junipero servari ignem: est enim illius materia densa, pinguis, & quodammodo incorruptibilis. Plinius autè auctor est, cariem vestustatemque non sentire: ac templi cujusdam trabes ætate sua durasse, quod annis ante Troiæ excidium ducentis constructum fuerat.

CARBONUM eorundem fit mentio psalmo cxxv. *Cadent super eos carbones: in ignem deijcies eos: in miseris non subsistent.* Sermo est de supplicio improborum, quod subsistant, carbonibus ignitis in eos immixtis, ut iis obruantur, nec possint oppressi se erigere, at tollere, subsistere. Docent autem gravissimi Interpretes, pertinere hoc ad facinorosos, æternis Carbonum gehennæ incendiis peniendos, ac in gehennales flammæ, unde nunquam eripiantur, aut emergant, deijciendos: ita, ut illa tormenta intoleranda (sic loquuntur) tolerare semper cogantur, & de uno transire ad aliud, absque spe ullâ liberationis. Quod clarissimè significat Chaldaeus Paraphrastes, qui ita vertit, *Cadent super illos carbones de cælo: in ignem gehennæ præcipitabit eos: in foveas scrobium, ex quibus non resurgent vitam æternam.* Vel, ut est in textu, & translatione

Nebi-

(a) Apud Genebr. in psal. 119. 4. negat Lorin. se reperisse apud illos. (b) Isidor. l. 17. Orig. cap. 17. (c) Hoc ridet Scaliger Exerc. 328. in Cardan.

Nebienſis: *Cadent ſuper illos carbone: de cœlo in ignem. & in gehennam precipitabis eos, & in foveas ſcrobium, de quibus non reſurgent: item, in foveas illaqueationis cadent: & non reſurgent ad vitam æternam.* Nonne meritò ad hæc tinniant aures impiorum, quibus acclamari poteſt, quod eſt apud Iſaiam: cap. xxxiii. *Quis poterit habitare de vobis cum igne devorante: quis habitabit ex vobis cum ardoribus ſempiternis.* Denique, *Carbones decedentes ſuper damnatos, ſunt;* (a) qui deſignare putant Dæmones, ac etiam damnatos alios, quaſi ruentes ſuper alios, cum faciebus fuliginofis & denigratis ſuper carbones, ut loquitur Jeremias in Threnis: (b) Quod præclare denotat pœnam in inferno demorantium. Et alluditur ad ignem Sodomiticum, quo civitates quinque conflagrarunt, *deſcendente igne in pentapolim, Sapientiæ x. & ad ignem egreſſum à Domino, qui devoravit Nadab, & Abiu filios Aaron, Levitici x. & alios poſtea murmuratores, Numer. xi.* At quoque & habitatores Arnon, Num. xxi. Atque ita periit ob infidelitatem impietatemque ſuam. Olympius Arianus Episcopus in Africâ, dum in balneo S-S. TRINITATEM blaſphemaret: ignito enim triplici jaculo cœlitus proſiliente, multisque videntibus abſumptus eſt. (c) Prætereà, Imperator hæreticus Anaſtaſius. (d) Atque ob improbitatem Hatto Moguntinus Antistes, malæ famæ vir. (e) Senſus itaque illius comminationis eſt. Cavete criminofis, ſagittæ potentis Judicis ſunt acutæ cum carbonibus deſolatoriis, carbones ignitos vobis immittet, & in carbones vos deiiciet, ut, & cadant carbones ſuper vos, & ipſi cadatis in eoſdem, fulminati & cooperti ab illis, perpetuò in iis rotandi.

Bb 3 CAR-

(a) *Martinus Alfernis.* (b) *Thren. 3. 5.* (c) *Sigeber. Chron. Zonaras tom. 3.* (d) *Sigeber. Chron. Crantius Metrop. lib. 2. cap. 25. lib. 3. c. 4.* (e) *Serar, lib. 4. Moguntiac.*

CARBONES itaque isti calcandi sunt in animâ, tanquam in terrâ palustri, ut fiat solum. Fidei fundamento sustinendo idoneum. Clarius meditatione crebrâ suppliciorum, maximè, infernalium, eorumque salutari meru ac formidine, quæ dicitur *Timor Domini Servilis*, Anima peccatoris, quæ ob insitam vanitatem, & affectuum, ac criminum humorem redundantem, instar aquæ, diffluit, exsiccat, firmaturque: & sic apta redditur, ut Fidei fundamentum suscipiat, sustineat, retineat. Ita enim fit, ut licet anima fuerit antea, ceu terra palustris, tamen in eâ jam nequaquam, ut in lubrico & instabili fundamentum ponatur: stabilitur enim ac solidatur, immò lapidescit, istis in eâ calcatis carbonibus. Quod clarissimè, absque ulla metaphora, docent ædificationis spiritualis Magistri. S. Cyrillus Alexandrinus imprimis, qui lib. 2. cap. 16. sic Isaiam exponens scribit: *Tenendum est, animam DEI Timore, velut muro obseptam forem esse, & quodammodo invictam.* Firmitatem igitur communicat Timor Domini. Quocirca monet Salomon ut firmitatem nostram fortitudinemque in Timore illo sitam putemus. *In Timore fiducia fortitudinis*, inquit Proverbiorum xiv. *Et, qui timet Dominum nihil trepidabit, & non pavebit, quoniam ipse est spes ejus.* Quod pulchrè atque eleganter deducit Lactantius desumpto ex Philosophicis principio. *Nemo dubitat, inquit, lib. vi. de vero cultu, qui timidi & imbecilli sunt animi, aut dolorem metuere, aut egestatem, aut exilium, aut carcerem, aut mortem: quæ omnia, quisquis non exhorruerit, fortissimus judicatur. Qui autem DEUM metuit illa universa non metuit.* Rectè nam Timor Domini, etiam Servilis, expellit Timorem exilii, servitutis, carceris, egestatis, omnisque alterius rei formidinem: siquidem rimens DEUM, eligit potius mortem, universamque suppliciorum molem sustinere, quàm DEUM

offen-

offendere, Calcatis igitur in anima, ut palustri solo, per Timorem Domini, Carbonibus gehennæ, soliditas obtinetur: nam Carbones isti absument paludis immundæ humorem omnem: hoc enim habet gehennæ Timor, ut observat Climacus gradu ultimo. Sic ergo in anima aptatur ad Fidei fundamentum locandum locus.

---

### ARTICVLVS III.

#### CARBONES JUDICIS SEVERI,

*Lana vellera Patris benigni sunt symbola.*

**V**ERUM, Carbonibus istis, ex Architecturæ sacre præscripto, conjungenda sunt Lanæ vellera, quibus magis magisque firmatur animæ solum: id est, ut clarissime dicam, Timori copulanda est Misericordiæ divinæ, per Christum Salvatorem, Fiducia, sine qua minus esset firma substructionis moles. Hoc est, quod docuit Tridentina Synodus, eo loco, in quo egit de Fundamento, quod indirectè, quia dispositivè ad Ædificium spirituale requiritur, id est, de præparationibus ad sanctificationem peccatoris. Postquam enim dixisset: peccatores à Justitiæ divino Timore utiliter concuti, addidit, eosdem tunc ad Misericordiam DEI considerandam se convertendo in spem erigi, fidentes, DEUM sibi propter Christum, propitium fore, sicque paulatim ad justitiam & sanctitatem, perfectam perducere, Sessione VI. cap. 6. Bene autem per *Vellus Lana*, Misericordia, mansuetudo, & longanimitas DEI Opt. Parentis significantur. Est enim *Vellus* ab animalium mansuetissimo, ipsoque Misericordiæ symbolo, Ovicula resectum. Immo,

in Litteris divinis, per Vellus exprimitur *ἡ μαλὰ*, mansuetudo, seu longanimitas. Sic Psalmo LXXXIX. 10. ubi ex LXX. legitur: *Quoniam supervenit mansueto*, in Hebræo legi potest *gez gez*, quæ vox alibi (a) per *Vellus* redditur. Hoc *Lana vellus*, id est, *DEI Misericordia*, si cum Carbonibus, id est, iudiciorum divinorum Timore prematur, & & calcerur in corde, omnem illecebrarum humorem ex paludosa illa tellure exprimit, solumque ejus ad sustinendum virtutum palatium stabiliet.

(a) Deut. XVIII. 4. Job XXXII. 20. Serarius Judic. VI. q. 24. nu. 6.

## ARTICULUS IV.

### CHRISTUS JESUS

*Cui Lana Vellus, Edificio spirituali virtutum  
supponendus.*

MELIUS fortasse fecero, si *Lana Vellus* fundamento Domus spiritualis substernendum, dicam esse illud, sine quo nulla inchoatur, sive in terris sive in cælis, Palatii moralis, mystici, divini, ædificatio, quodque omnibus supponi debet, ut firmitatem assequantur. Is est CHRISTUS JESUS, viuum virtutum omnium Fundamentum, ac unice solidissimum. An non enim in Christum Charismata Divini Spiritus, sicut *Pluvia* in *Vellus* descendere? *Quid VELLUS Gedeonis significat*, inquit suavissimus Bernardus, Sermone 2. super Missas. *quod utique de carne tonsam, sed sine vulnere carnis, nisi Carnem adsumptam de Carne Virginis absque detrimento Virginitatis. Cui utique distillantibus cælis, tota se infudit plenitudo Divinitatis. Si Christus est Agnus DEI innocens & immaculatus,*

us, ejus Caro est candidissima Lanæ Vellus, cujus meritis omnia ædificandi impedimenta auferuntur. Videtis-ne quàm bellè convenient Architecturæ sacræ profanæque observationes. Ex quibus deduximus, accommodatio sensu, Timorem Domini, & ejusdem misericordiæ fiduciam, adjunctis Agni immaculati exuviis, ac meritis, esse *Carbones & Lana Vellera* in palustro animæ solo jacienda & calcanda, ut Domus Sapientiæ, quæ Divinum est virtutum ædificium, possit exurgere.

## ARTICULUS V.

## ARTIFICIUM ARCHITECTONICUM

*Collocandi fundamentum, adactis in imo Palis.*

**M**AGISTER Architecturæ vulgaris Vitruvius libro tertio cap. 3. quod est de foundationibus, tam in locis solidis, quàm congestitiis, postquam docuit, foundationes in solido fieri debere, si queat solidum inveniri, addit, si hoc non reperiatur, sed locus sit congestitius ad imum, aut paluster, debere palis alneis, aut oleagineis, aut robusteis ustularis configi, sublicæque machinis adigi, & tunc structuris solidissimis fundamenta implenda esse. Alii brevius id exprimi posse existimant, & dicunt, terram prius fistucationibus, nempe, palis è robore, alno, olea ustularis, & fistuca machina adactis solidandam, antequam principale fundamentum jaciatur. Idem præceptum inculcat lib. v. cap. 12. Atque secundum hanc regulam, Venetiis, cum ea vrbs Adriatici maris stagnis & paludibus inædificata sit, fundamenta ædium constituuntur. Quod refricat mihi memoriam

B b 5 civi-

civitatis nobilissimæ, & emporii in tota Europa celeberrimi Amstelodami, (quod mihi natale solum Anno 1578.) Hæc urbs viris pariter, & opibus præpotens, in intimi sinus Batavici faucibus posita, præter naturæ munimentum, operibus etiam pro loci genio haud invalida, quum paludoso minimeque firmo solo inhæreat, aut, ut quidam asserit, (a) potius in undis natet, fundamenta non nisi incredibili impendio poni patitur, ad actis per fistucas trabibus arboribusque ingentibus, aut substrata materia, per sublicas connexa. Quo fit, ut putentur fundamentorum impensæ subinde reliquam structuram æquare vel excedere,

(a) Hadria. Junius in Batavia.

---

## ARTICULUS VI.

### TIMOR DOMINI

*Comparatur cum Palis oleagineis, alneis, robusteis.*

**A**NIMA hominis infidelis, aut peccatoris, ut jam ante præscripsi, vndis criminū est obruta, vel iis innata, verè palustris, instar terræ, aquis immersæ, nihil habens in imo solidi, cum non nisi vanitate innitatur, & rebus nihili, immò, sit ipsa Vanitas, & umbra mendacioque instabilior. In illo tamen, ad id destinato solo, Ædificium spirituale exstruendum est, cujus *Fundamentum* sit *Fides* ære perennius. Quid remedii? ab Architectura id petendum. Hæc docet, ut audivistis, terram istiusmodi fistucationibus esse solidandam, adigendos creberrimè Palos ustulatos, ex olea, alno, robore, tunc verò iis superædificandum. In Architectura-sacra, quam hic profite-

mur,

mur, *Palus est Timor Domini*, cujus varia officia, & functiones, sunt veluti Pali multiplices, quibus spiritualis fit palatio. Iis enim anima confixa solidatur, ut ad suscipiendam substructionem Fidei, aliarumque virtutum structuram sit aptissima. Hanc sive conceptionem, sive applicationem suggerit mihi Architecturæ sacræ peritissimus Rex David, qui cum haberet in optatis, ut in anima sua à supremo Architecto Ædificium virtutum erigeretur, sciret autem solum istud esse paludosum à stagnantibus concupiscentiæ undis, atque idcirco, non posse, nisi ad actis palis fulciri, precabatur identidem, quod est. *Psalmo cxviii. Confige Timore tuo carnes meas: à iudiciis enim tuis timui.* Ac si ita oraret supplex. *Quæso Te, Princeps clementissime, & Architecte sapientissime,* tuis non solum auspiciis, sed & sumptibus præparalocum palationibus necessariis: nam mihi id est impossibile, cum incredibilis impendii sit, in aquis vanitatis fundamenta jacere: deinde, manum ipse ædificationi admovebo sedulo. *Confige Timore tuo carnes meas.* Ita Timore, tanquam Palis, suppliciorum igneorum jugi memoria præustulatis caro configitur, & solidatur. Nec te moveat, quod carnem nominet, non animam: per carnem enim intelligit, non corpus hoc, quod circumferimus, sed carnales cupiditates, quæ sunt in anima, ut subfiliens & fungosa terra, minimè firma: illas enim petit Timoris palis transfigi, ut sese amplius commovere non valeant. Loqui autem Psalmistam de Timore Servili, qui fundamentum est fidei, quamvis alii de filiali intelligant, omninò est verisimile.

Et quidem Timor ille multa habet cum Palis communia, ne quis symbolum & similitudinem calumnietur. **IMPRIMIS** enim, sicut Palus, quia desinit in acumen, terræ infigitur, illamque perforat, penetratque, ita

Timor



Timor gehennæ, seu pœnarum peccatis debitarum non hæret in superficie, nec cute tenus perstringit, sed sese in interiora insinuat, totum hominem pervadit, perque omnes transit potentias, intellectum, voluntatem, memoriam. Ideò Timore turbatur homo, & interiorius exteriusque concutitur. Quare, quod Interpretes Latinus noster vertit, *Confige Timore tuo carnes meas*, S Hieronymus legit: *Horripulavit à Timore tuo caro mea* hoc est, horrore invasit, qui ad exteriora etiam diffusus est. DEINDE, Pali ad fulcienda ædificiorum fundamenta fistucis adiguntur. Est autem *Fistuca* machina, quâ pavtores utuntur, utrimque ansata ad pullandum idonea, qua pali terræ inmittuntur, ac tundendo infiguntur, haud secus ac malleo clavi. Timor in animam defigitur consideratione suppliciorum æternorum: quæ, instar fistucæ, duas ansas habet: nam & speculativa esse debet, & practica. PRÆTEREA, Palus festuca adactus, excludit, vel extrudit quicquid est molle & obvium, sibi que idcirco contrarium. Timor Judicis DEI & infernalium tormentorum meditatione theotoco-practica animæ immisus, pellit mollem omnem concupiscentiam, extrudit timorem mundanum, affectus omnes alios occurrentes, ut sibi adversos deprimat, nec resurgere patitur: peccata profligat. *Timor Domini*, inquit Ecclesiasticus cap. i. *expellit peccatum*: nimirum, ut Palus, quicquid est obvium sibi resistens. AD HÆC, pali in palustribus, terram fistulosam pumicosamque, si crebri, ac spissè adigantur, densant, quia nulla relinquunt foramina, nullas foveas. Haud secus, Timor Domini multiplex animæ solum, vanitate pumicosum, fistulosum, & rimarum plenum, ac dissolutum unit, stipatque, neq; in illa finit permanere ullas vanitatis levitatisve foveas. Quod oppido ad virtutû fundamentum jaciendum est necessarium.

DE-

DENIQUE. Pali in terram densè adacti humorem omnè ædificationis impedimentum, comprimendo, & extrudendo pellunt. Et hoc proprium est Timoris Servilis, qui de DEI Judice, & pœnis Inferni concipitur, & mèti profundissimè imprimitur: exprimit enim omnem lasciviæ, petulantia, & cujuslibet criminis, aut peccati humorem noxium.

QVO D adeò est verum, ut apud S. Lucam capite XXI. dicat Dominus, quod homines, Judicii metu, arescent: (*Arescentibus, inquit, hominibus præ timore*) Et nonne David hoc Timore salutari perculsus exclamabat? *Ossa mea, sicut cremium aruerunt, Psal. CIII. 4.* Iterum, *Conversus sum in arumna mea, dum configitur spina: Psal. XXXI. 4.* scilicet, dum spinosus, vel acutus, ut spina, *Palus Timoris* infigitur. Quod alii legunt ex Hebræo: *Immutatus est humor meus in siccitates aestatis.* Alii, *conversa est, aut eversa pinguedo mea, & humidum meum in siccitates.* Nonnulli, *vertebatur succus meus in siccitatem aestivam.* Denique, aliqui: *mutatus sum, ut ex succulento factus sim aridior, quàm sint arista in media messe.* Exprimit enim humorem omnem, pinguedinemque deliciarum, ac concupiscentiæ *Palus Timoris* de DEO Judice. Quare existimat S. Basiliius, non esse efficacius ullum instrumentum ad concupiscentiam extrudendam ex anima, quàm *Palum Timoris Domini.* Sic enim scribit in Psalmum XXXIII. *Cùm ad peccatum aliquod progredi voles, cogita mihi horrendum illud & non ferendum Christi iudicium, quæque illud antecedent, comitabuntur, ac sequentur. Hæc time, atque hoc Timore eruditus, animam à Concupiscentia ad hæc mala retrahere.* Quod si fiat, victoriam jugiter spondet. Similis est exhortatio S. Ephæm, sermone luculento de Patientiia. Idem suadebat Sapiens sententia illa apud omnes vulgata, utinam ab omnibus æquè intellecta: *Memorare novissima tua, & in æternum non peccabis: hoc est,*  
memo-

memorare mortem certam, Judicium districtum, supplicium sempiternum; & non peccabis: nam horum qui meminit, non peccat, dum meminit: non quia meminit tantum, quid enim ad rem meminisse solum? sed quia memoria, tanquam fistuca, Palos Timoris salutaris sibi infigit, quibus ipse transfixus, omni humore vitioso liberatur, & redditur in bono firmus, constans, immobilis.

## ARTICVLVS VII.

TIMOR DOMINI SALUTARIS

*Olea. Alnus. Robur.*

**N**ON est reticenda Palorum, quos ad Aedificationem nostram necessarias esse probavimus, materia, nec hujus transilienda consideratio, cum sit utilissima, ut Timoris natura penitus inspiciatur. Materiam nominat Vitruvius tres arbores, *Oleam, Alnum, Robur*, in quibus invenio symbolicè significatas eas qualitates, quæ Timori inesse debent, ut ad fundandi effectum sit idoneus.

I. **OLEA** solum est Misericordiae. Ita ferri debet Timor in DEUM Justum, ut Misericordem etiam contempletur. *Olea* luctatoris est hieroglyphicum, quod oleo olim ungerentur pugiles:

*Cetera populeâ velatur fronde juvenus*

*Nudatosque humeros oleo perfusa nitescit.*

canebat Poëta. (a) Oportet Timorem esse fortem, animosum, luctatorem, qui omnibus mollitiei affectibus

(a) s. *Aeneid*,

bus se opponat, passiones teneritudinis aggrediatur, adversarios serix conversionis oppugnet.

*Olea* pacis est reffera.

*Paciferaque manuramumprætendit oliua.*

Et supplicis animis

----- *Centum Oratores*

*Ire jubet ramis velatos Palladis omnes.*

*Velati ramis olea, veniamque rogantes.*

Et tranquillitatis. Hinc illud *Oleo tranquillior*. Et naturæ hoc ad eò tranquillæ perhibent, ut mare, rem omnium turbulentissimam tranquillet. Timor Domini, qui sit initium Sapientiæ, inhærere debet animæ, ad pacem cum DEO, ad quietem secum, ac cum proximo stabiliendam compositæ; debet esse mentis demissæ, humilis, ac suppliciter veniam postulantis.

II. *ALNUS* est arbor, quæ ex aqua provenit, ideoque aquosis gaudens locis, ita fortasse dicta, quod amne alatur. Nascitur juxta fluvios, aquis obruta, inquit Vitruvius. Vnde & lignum ejus ad navalem materiam imprimis commendatur.

----- *fluctibus aptior Alnus.*

canebat Lucanus. Aqua, ut sæpius est probatum à nobis, in arcano sermone, Gratiam Spiritus divini significat, ex qua nisi Timor, ut ex aqua *Alnus*, procedat, ad fundandam Domum Sapientiæ est inutilis. Non enim Timor naturalis, qui viribus naturæ gignitur, sed supernaturalis solum, quæ Gratiæ est Christi, seu Spiritus-sancti fœtus, ad fundandum hic valet. Si sit præterea, sicut *Alnus*, ut non facile corrumpatur: quod *Alno* tribuit Vitruvius. Immò, ut idem scribit, in palustribus locis palationibus crebro fixa permanet immortalis ad æternitatem. Non

Timor

(a) *Æneid*, 8. (b) *Æneid* 7. (c) *Æneid*, 11. (d) *Plini*. lib. 2. c. 103.

Timor diarius, non horarius, multo minus momentaneus, sed firmus, & quadamtenus incorruptibilis est. Initium Sapientiae Timor Domini manet in aeternum. Alno incorruptibilior, est magis immortalis. Timor Domini sanctus, permanens in seculum seculi. Psal. xviii, 10.

III. ROBUR, ultima Palorū ad fundamenta aptorum materia, est species arboris glandiferæ durissimæ, fortitudinis, ac firmitatis inconcussæ hieroglyphicū. Omne quod forte est Robur vocamus scribit Servius, & passim tum pro animi fortitudine, tum pro corporis firmitate, per translationem, sumitur: magnitudinis vastitatisque est visendæ. Debet esse Timor tuus roboreus, firmus, fortis, & qui magnitudine ac vastitate totam animam, ejusque facultates omnes occupet: qui expandat ramos ab appetitu rationali ad sensitivum: ut non solum voluntatem afficiat, sed sensum quoque. Talis est Timor, qui horripilationem, tremorem, gemitus, & alias animi ac corporis commotiones gignit. Hic si quis alius, tati- quam Palusex robore, animam transfigit, expellit peccatum, & firmitatem inducit insuperabilem.



## SERMO XIV.

### FUNDAMENTA

### *Domus Sapientiae*

Seu

### *Ædificii Spiritualis*

VERBUM DEI. BONVM EXEMPLVM  
CATECHISMVS. CONCIO. EXHORTATIO.

PRÆ-

PRÆFATIO.

**M**ONENT ab Architecturâ desumpti adificandi modi variis, quos hactenus explicavimus, ut differamus, de aliis quibusdam, quæ indirectè, sicut Timor & Humilitas, Fundamentum spiritualis Aedificii nuncupari posse videntur. Quæ enim Carbonibus ac Palis æquè significantur, ac Timor non inepta analogia ad fundamenti rationem traduci posse videntur.

ARTICVLVS I.

VERBUM DEI

Fundamentum Aedificii spiritualis.



**A**RBO in arcanis Sacræ-Scripturæ symbolum est sermonis divini à DEO, vel ejus Interpretibus prolati, eumque significat. Ita S. Hieronymus Isaia vi. 6. Epist. 142. accipit Carbonem, quo Isaia labia purgata sunt: Volavit, inquit Propheta Isaia vi. 6. ad me unus de Seraphim, & in manum ejus Calculus, quem forcipe tulerat de altari. In LXX. Interpretum versio est Carbo. Verè, desolatorius Carbo, inquit S. Hieronymus, qui linguam puram facit à peccatis, sermo divinus est. Quod confirmat ex Isaia XLVII. ubi dicitur de infidelibus & obstinatis, eoque super glaciem frigidis: Non sunt pruna quibus calefiant: aut, ut alia habet versio, Habes Carbones ignis: sedebis super eos: hi erunt tibi in adiutorium. Simili modo B. Bruno Herbipolensis illud Psalmi CXXXIX. Cadent super eos Carbones, interpretatur de

Secundæ pars.

Cc

viii

viris spiritualibus igne caritatis & cognitionis accensis, qui dicuntur casuri, id est, cum magno pondere sententiarum, & divinorum verborum, tanquam Carbonum ignitorum, infideles, & hæreticos præsertim oppressuri. His porro Carbonibus in animâ, prædicatione Evangelicâ, & cœlestis Magistri interius docentis, & permoventis gratiâ calcatis, formatur palustris illa terra ad fidei substructionem suscipiendam. Ut rectè, *Verbum Dei Prædicatum, & Auditum*, dicatur *Ædificii spiritualis Fundamentum*, indirectè, ac dispositivè, sicut de Humilitate, ac Timore docuimus. Ita initium fidei, id est, ædificationis spiritualis, esse à prædicatione adfirmat Paulus Apostolus: *Fides, inquit, ex auditu: auditus autem per Verbum Christi.* Ad Rom. x. 17. Quasi dicat, Fidei substructionem præcedit auditio: nam percipiendum est primò quid credere oporteat. Verùm, auditus, ipsaq; a deò, quæ auditione concipitur Fides, substratum habet Verbum DEI, quatenus complectitur ea, quæ sunt divinitus revelata; sive illa scripta sint, sive traditione accepta, sive denique Apostolicâ & Ecclesiastica auctoritate definita.

## ARTICULUS II.

## BONUM EXEMPLUM

*Fundamentum Domus Sapientie.*

**A**NALOGIA à superiori haud multum differente Fundamenti rationem participat *Bonum Exemplum*, est enim animis infidelium, aut malorum instar Carbonum, quibus terra palustris firmatur. Quot ad fidem conversi sunt? quot ad virtutum studium? quot ad cultum pietatis?

pietatis? quot gnauiter in ædificationem Domus spiri-  
 tualis incubuerunt, postquam his carbonibus in solo  
 mentis calcatis dispositi prius fuerunt? In hunc fermè  
 sensum S. Augustinus exponit illud Psalmi cxxxix. *Ca-*  
*dent super eos carbones, in ignem deijcies eos: in miseris non subsi-*  
*scent.* Carbones enim dicit designare Sanctos, fide, spe,  
 caritate accensos, qui euaferunt lux in Domino, cum es-  
 sent prius tenebræ: quosdam tamen accendunt ipsi *Verbo*  
 atque *Exemplo*; nimirum, illos, in quorum mentes, ut  
*Carbones*, cadunt, & soliditatem procurant. Simili ferè  
 modo Hugo Cardinalis, explicans versiculum nonum  
 Psalmi xvii. *Ascendit fumus in ira ejus: & ignis à facie ejus ex-*  
*arsit: Carbones succensi sunt ab eo.* Nam in fumo ascenden-  
 te, statim Incipientium; in igne exardente, Proficien-  
 tium; in Carbonibus succensis, Perfectorum; qui alios  
 quoque inflammant, *Verbo & Exemplo*, considerat. An-  
 non talis in paucis fuit S. VINCENTIUS FERRERIUS,  
 cujus concione, quam sanctitas viri animabat, ad eò qui-  
 dam commotus, mutatusque legitur, ut facies ejus *Car-*  
*bonem exhibuerit?* At verò, Carbones absque igne, de-  
 signare peccatores existimat idem Psalmorum præcla-  
 rus Interpres: homines vacuos caritate, frigidos torpore  
 fidei, obscuros exempli corruptione, immundos imita-  
 tione. Quando autem sunt accensi, denotare justos il-  
 los, qui sunt calidi igne Spiritus sancti, caritatisque. Ex  
 hi congeruntur super inimici caput, ut dicitur Prover-  
 biorum xxv. *Si esuriet inimicus tuus ciba illum; si sitierit da eò*  
*aquam bibere: prunas enim congregabis super caput ejus, & Domi-*  
*nus reddet tibi.* Qua sententia utitur S. Paulos ad Roma-  
 nos xii. dans præcepta; quomodo inimicos nostros  
 Christo lucrari debeamus, id est, malos ad frugem per-  
 ducere, & ex vitiosis, criminosisque, bonos ac studio-  
 sos reddere: quod non fit, nisi virtutum *Ædificio* in  
 mente



mente erecto. Sic autem differere videtur. Ardes desiderio convertendi ad DEUM, Christi, tuique proximos, qui perpetim tibi insidiantur, & malè vivendo contumeliam religioni inferunt: velles omnes tui esse similes, id est, Sapientes Architectos, qui jacto *Fidei Fundamento*, virtutum parietes erigerent, & perfectionis rectum imponerent. Quid facto opus? præscribit ita: si egestate pressus esurit, illum tu benignè, indulgenterque recrea, & cibum ministra, si sitit, potum præbe: noli vinci in malo, sed vince in bono malum: bono illi esto exemplo, virtutem exerceto: hæc aliaque si ad *Ædificationem* proximi feceris, ignitos Carbones coacervabis in caput ejus. Quænam hæc collatio & connexio dicat quispiam? Si bono fuerim aliis exemplo, si inimicorum necessitatibus consulero, si injurias non fuero vindicta persequutus, si inimico pepercero, si lenitate cum iracundia pugnaverò, si contumelia me superari non permisero, si par pari non retulero, si dederò operam, ut benè de inimico merear, si male facta benefactis competesem, si malitiam alienam propria vincam bonitate, denique si nihil nisi ad ædificationem fecero, congeram *Carbones ignis* super caput inimici. Quis hoc beneficium sibi præstari cupiat, ut carbonibus compluatur? Ego si vos mihi demereri vellem, & dicerem, me proximo, qui erit dominica sequente confessu, de hac cathedra missilia carbonum in singulorum capita vibraturum, certissima destinatione, ut nemo indonatus abiturus sit, quis huic se beneficio sisteret? quis gratias ageret? quis me prudenter facere adfirmaret? Et tamen Paulus divino afflatus Spiritu, nihil inimicis contingere posse ad emolumentum utilius, nihil fieri à Sapiente Architecto existimat, quo melius ad versariis consulatur. Et hoc ipsum Apostolus didicerat in gymnasio sapientissimi Salomonis,

nis, in quo illud erat vulgatum: *Si esurierit inimicus tuus, ciba illum; si sitiverit, da ei aquam bibere: prunas enim congregabis super caput ejus.* S. Cyprianus legit, (a) *Carbones vivos super infundes in caput ejus.* Itaq; lateat oportet aliquid in ea metaphora non omnibus obvium, quod nobis investigandum eruendumque relinquatur.

VARIA est Patrum dum tropicam illam loquutionem tractant, expositio. Sed non probanda illa quorundam apud S. Augustinum & Bedam, (b) inimico faciendum benè idcirco, ut dum ille in sua pervicacia, atque improbitate perseverat, acrius apud inferos igne sempiterno crucietur: quasi sermo sit de Carbonibus pœnarum, & incendii infernalis; ac suggeratur modus se ulciscendi de inimico: nimirum, si sit illa causa gravioris supplicii. Non est hic sensus Apostoli, qui subjicit: *vince in bono malum.* Neque consentaneum est Verbo DEI, ut suggeratur benefaciendum inimico, quo per exhibita beneficia perditionis materia subministratur.

Minus malè opinantur, quamvis sequuti Origenem, qui *Carbones ignitos* referunt adustionem illam, quo inimicus aduritur, quando experitur illius beneficentiam ac liberalitatem, cujus iram convitio, vel contumelia provocavit. (c) Verùm, mihi non est dubium, coacervatione *Carbonum* significari beneficii alicuius collationem. At, quodnam illud? Finge in capite alicuius, ex carbonibus appositis, aut, ut Græca significantius habent, coacervatis, ignem excitari, & caput, diadematis instar imperialis cingere; profectò totus homo ille, non calefiet modò, sed penè in *Carbonem ignitum* mutabitur: secus eveniret, si prunæ pedibus solum apponerentur. Significari igitur videtur, si quis multa beneficiorum

Cc 3 ge-

(a) *ἀνθράκας ζυγός.* lib. 3. ad Quirin. (b) Serm. 68. de i. emp. (c) Prov. 25. (d) S. Chrysof. Theodor. Theophyl. Epist. ad Rom. Auct. Imperf. hom. 5, in Matth.

genera inimicis impendat, fore, ut is, velut Carbonibus acervatim positus, inimicitiam, tanquam beneficiorum igne consumpta, totus accendatur in amorem ejus, quem antea vehementer, & pervicaciter oderat.

O præclaram vindictam inimicum suum hoc modo comburere, vel ferri instar ignire. O beneficium luculentum! hominum ex malo bonum, ex facinoroso studiosum, & scelerato sanctum exemplo suo facere. Quocirca S. S. Hieronymus, Augustinus, & Ambrosius, nec non Eucherius, per *Carbones ignitos* intelligunt caritatis ardorem, quo necesse est inimici animum inflammari, dum ejus, quem læsit ipse beneficentiam, liberalitatemque experitur. Verè dixit Augustinus: *libr. de catechiz. rudib.* *Nulla est major provocatio ad amandum, quam pravenire amando: nimis enim durus est animus, qui si ultrò dilectionem non vult impendere, etiam nolit rependere.* Et Hieronymus. *Epist. lxx. q. i.* *Quando inimicis nostris præbemus beneficia, malitiam eorum nostra bonitate superamus, & mollimus duritiam, iratumque animum ad mollitiem & benevolentiam flectimus, atque ita congregamus Carbones super capita eorum, de quibus scriptum est Sagittæ potentis acutæ cum Carbonibus desolatoris. Ut quomodo de altari Carbo sublatu Prophetæ labia purgavit, ita & inimicorum nostrorum peccata purgantur, & vincamus in bono malum, & benedicamus maledicentes nos. S. quoque Augustinus, *Sermone 26. de diver* quærens alicubi, quomodo quispiam diligat quem vult ardere carbonibus? respondet, intelligi de Carbonibus quorum est mentio in psalmsi *cxix. versiculo 4.* *Sagittæ potentis acutæ cum carbonibus desolatoris, seu vastatoribus, qui dantur homini ad versus litigiam dolosam. Cùm enim quisque, inquit, benefecerit inimico, & non victus malo ejus vicerit in bono malum, plerumque illum inimicitiarum suarum pœnitebit, & irascetur sibi, quod tam bonum hominem læserit. Ipsa verò ustio à carbonibus, pœnitentia est,**

est, que tanquam carbones ignis, inimicitias ejus, malitiasq; consumit.

HÆc si non congruenter metaphoræ dici pronunciam, doctissimis illis Patribus adversabor, quod nollem equidem, cùm ipsorum & commendem pietatem, & laudem acumen, & recipiam interpretationem, ut litteræ convenientem. Sed quoniam non solùm litteralem sensum confector, sed illum etiam, qui spiritualis, mysticus, & accommodatitius vocatur, & supposito sensu litterali, componitur ex variarum rerum analogia, in quo pii cōtemplatoris exercetur ingenium; liceat hoc loco, Salomonis & Apostoli Pauli sententiam de Carbonibus in caput inimici cōgerendis, ad Architectonicam Christianam accommodare, modo illo quem supra insinuabam. Velles lucrari proximum, & ex homine perverso ac DEI inimico, bonum, & superis carum reddere. Sis sapiens Architectus, cujus est fundamentū ponere in solido; quod si non inveniat, sed terra sit paludosa, Carbonibus calcatis eam fulciat, & superædificet. Inimicus tuus turbidis perturbationum undis quatitur & involvitur; itaque carbonibus hic opus: virtutem illi tuā demonstra, benevolentia signa exhibe, honore illū præveni, famentē, sitientēq; recrea, quicquid boni exempli quicquid ædificationis est, ostende, & Carbones in caput, id est, principē ejus partem, mentē seu animū coarcervabis, præparabisque solum ad fundamentū virtutum, atque ædificii spiritulalis sustinendum. Veniet enim facillimè in memoriam Carbonum, quibus cruciantur impii, ingrati, contumaces, sicque Timorem salutarem concipiet, ne DEO non reconciliato æternis addicatur Carbonum ustulationibus. Hoc salutis est initium: hoc Profundamentum Ædificii spiritualis. Similem fortasse conceptionem habuit, qui confecit Officium de S. Augustino,

gustino, in quo sic canitur: *Vulneraverat Caritas Christi Cor  
ejus, & gestabat verba ejus in visceribus, quasi sagittas acutas, &  
Exempla servorum DEI, quos de mortuis vivos fecerat, tanquam  
Carbones vastatores.* Quo in versu, Exempla eorum,  
quibus motus Augustinus conversus erat, & fundamen-  
tum cœlestis palatii jecerat, dicuntur fuisse *Carbones* in  
ejus corde. Hos autem se ad stabiliendum in bono ani-  
mum habuisse causas, scribit ipsemer in octavo suarum  
Confessionum, ubi fatetur cap. II, se proborum permotum  
Exemplis vitam meliorem incepisse: postquam vi-  
disset quodammodo castam dignitatem continentiam,  
pias manus ad se extendentem, plenas gregibus bono-  
rum exemplorum, & audire videretur irridentem irri-  
sione exhortatoriâ, *Tu non poteris, quod isti & ista?*

IDEM S. Augustinus enarratione in Psalmum cxiix  
egregiè declarat, quomodo DEUS, ut Sapiens Archite-  
ctus, ad Ædificiū spiritualis Fundamenta ponenda, uti-  
tur *Carbonibus Exemplorum bonorum.* Illius autem ut perci-  
piatis sensum, concipite hominem, vel infidelem, vel  
peccatis immersum, Ædificasse Domum Diabolo, ex  
vitiis, tanquam straminum manipulis, aut alia, quæ flam-  
mam ferre non potest, materia, in solo minimè firmo,  
advenire deinde Architectum Sapientem DEUM, & im-  
mittere in hanc fabricam stramineam, vel sœneam, ei si-  
milem, *Carbones desolatorios, ac vastatores,* qui prius illud  
Ædificiū absumant, & postea animæ solum ad susci-  
piendum Fundamentum Domus Sapientiæ firment. Exempla,  
inquit Augustinus, sunt *Carbones vastatores: & quare va-  
statores dicuntur: breviter accipiat Caritas vestra.* Quando ad vi-  
tia homo pellicitur, & à virtute avocatur, lingua subdola illi dicit:  
*vide ne possis implere, multum est à te hoc aggredi.* Accepisti tu  
præceptum Evangelicum: habes sagittam, sed *Carbones necdum  
habes.* Timendum est, ne *sagitta sola non valeat ad versus linguam*

dolo-

dolosam: sunt & Carbones. Vt puta, incipit tibi dicere DEUS. Tu non potes? quare ille potest? quare alter potuit? Numquid tu delicatior es illo Senatore? numquid tu infirmior es illo, aut illo valetudine? numquid tu infirmior es foeminis? foemina potuerunt, viri non possunt? delicati divites potuerunt, pauperes non possunt? Sed ego, inquis, multum peccavi, & multum peccator sum. Numerantur etiam, qui multum peccaverunt, quo plura illis remissa sunt peccata. Quomodo dictum est in Evangelio? Cui modicum dimittitur, modicum diligit. Cùm ergo ista fuerint enumerata, & nominatim dicti fuerint homines, qui potuerunt, ille accepta Sagitta in corde, accedentibus etiam Carbonibus desolatoriis, cõvertitur: certè, desolatur in eo cogitatio terrena, quæ est conversionis initium. Quid est autem desolatur? ad desolationem perducitur. Erant autem in illo multa, quæ malè fronduerant; multæ carnales cogitationes, seculares multi errores. Ipsi uruntur Carbonibus vastatoriis, ut fiat purus locus desolatus: in cuius loci puritate faciat DEUS Ædificium suum: quia facta erat ibi ruina Diaboli, & ædificatur ibi Christus: nam quam diu manet ibi Diabolus, non potest ædificari Christus. Accedunt Carbones desolatorii, & deijciunt, quod malè fuerat ædificatum; & desolato loco, accedit instructor felicitatis perpetuæ.

EXEMPLA ergo multorum iniquorum, qui conversi sunt ad Dominum, Carbones dicuntur, & Carbones vivi, ardentibus, desolatorii: nam extincti, carbones mortui dicuntur; ardentibus, vivi appellantur. Audis homines mirari, & dicere: ego illum novi, quàm ebriosus fuit? quàm sceleratus? qualis amator Circi, vel Amphitheatri, qualis fraudator? modò quomodo DEO servit? quàm innocens factus? Noli mirari. Carbo est. Viuum gaudes, quem extinctum plangebās. Sed quando laudas viuum,

si nosti laudare, adhibe illum mortuo, ut accendatur, id est, quicumque adhuc piger est, sequi DEUM, adhibe illum Carbonem, qui erat extinctus. Nimirum, concipiebat Doctor egregius, Animam peccatoris, ut terram palustrem, alga, dumis, & spaliuris cogitationum variarum, & peccatorum obsitam, non posse autem in ea ædificium extrui, nisi his exustis, factâque complanatione. Utrumque autem Carbonibus desolatoriis bonorum Exemplorum fieri pronunciat.

## ARTICULVS III.

## CATECHESIS. CONCIO. EXHORTATIO

*Fundamentum Ædificii Spiritualis.*

CUM, quod sunt *Pali* in solo humido ac palustri, id in anima hominis infidelis, aut criminosi, sint Catecheses, Conciones Evangelicæ, Exhortationes ferventes, Comminationes acres, Incitationes sæpius repetitæ, ad fidem, virtutem, pietatem, totiusque vitæ emendationem seriam, hæ quoque ad Fundamenti rationem accedunt; sed ut superiora, indirectè, ac dispositivè, quatenus terram ad substructionem fidei ac virtutum suscipiendam præparant. Quotusquisque ad Christianam Religionem adducitur, vel seriò virtutum studio se addicit, quem non aut colloquutiones privatæ de rebus divinis, aut majorum hortamenta domestica, aut comminationes publicæ, aut iteratæ amicorum comminationes commoverint? Hi sunt *Pali*, ac semiusti stipites terræ humidæ peccatricis animæ infodiendi, antequam proximum *Fundamentum Fidei* collocetur. *Verba Sapientium*, inquit

inquit Ecclesiastes cap. XII. 11. sicut stimuli, & quasi clavi in altum defixi, quæ officium faciunt, quod in Architectonica Pali, ad humorem ædificationi noxium extundendum.



SERMO XV.

TIMOR DOMINI SERVILIS

*Quæ Fundamentum, duo extrema vitet.*

ARTICULUS I.

CHRISTUS ET DEIPARA

*Non habuerunt Timorem Servilem.*



VIBUS animæ solum non est palustre, id est, qui nullo sunt cupiditatum luto inquinati, aut peccati undis immerfi, eo fundandi genere, ad quod *Timor Servilis* requiritur, non indigent, ut altissimum virtutum palatium in se extruant, vel habeant in anima erectum. Quare ille fundandi modus omnibus non est necessarius. Certè, in **CHRISTI** Domini animam peccati omnis incapacem, infigi non potuerunt, ob plus, quàm ad adamantinã stabilitatem, *Pali Timoris Servilis*, licet *Dono filialis* fuerit præditus, secundum *Isaiæ* oraculum. **DEIPARA** quoque *Virgo*, quoniam terram mentis non habebat, vel luxuriæ sordibus inquinatam, vel concupiscentiã udam, vel  
 lasci-



lascivia lubricam, vel vanitate fistulosam, vel spongiosam inconstantia, istius modi *Palis* non egebat. Quocirca, ut illam *Timoris casti & filialis* nunquam fuisse expertem, ita nullam *Timoris Servilis* partem habuisse omnino mihi persuadeo.

## ARTICVLVS II.

## TIMOR DOMINI SERVILIS


*Homnibus ceteris plurimum conducit ad inchoandam  
Ædificationem Domus Spiritualis.*

**V**IRTUTIS hostes jurati, quorum istud unicum est votum: *Exinanite, exinanite usque ad fundamentum in eâ*, id est, Fundamentum funditus evellite, cum non neciant, Spirituale Ædificium in palustri nostro solo substructionem *Timoris Servilis* postulare, id sedulo curant, ut *Timoris* illius, vel *Carbones* calcari, meditationis incurbente machina non valeant, vel *Pali* infigi, considerationis iudicii & gehennæ impulsu non possint: nam & meditationem, & considerationem omnem salutarem dissipare conantur. Uritur autem hoc ad perficiendum *Cacodæmon* fidei Catholicæ adversarius, per quos disseminans *Zizania*, docet inter alia, malum, Deo quæ in gratum esse pœnæ timorem, nec fas esse Christiano, pœnam, quamvis gehennalem metuere. Est enim inter absurdissimos sectariorum qui superioris ævi hæresicham nominatissimum sequuntur, errores, iste: omnem pœnarum inferni Timorem non modò inutilem esse, sed etiam cum lethali junctum culpa facere hypocritam: atque idcirco pœnitentiam, quæ ex Timore cal  
nascitur,

hascitur, non esse Deo acceptam: immò, hominem non  
vi reatus crimine illi magis invisum reddere.

Quid posset dici ad impediendam spiritualem Ædi-  
ficationem accommodatius? quid in Pietatis negotio  
pernitiosius? Nam imprimis, cum *Timor Domini*, & ligna-  
tè, *Serviliis*, sit *Initium*, id est, *Fundamentum Domus Sapientia*,  
ac plerique omnes metu pœnarum, & suppliciorum à  
flagitiosa vita abstrahantur, atque ad Virtutis Palatium  
erigendum incitentur, qui Timorem istum è pectori-  
bus suis eijcere tentant, *Fundamentum* virtutum omnium  
evellere nituntur. Deinde, quod de hypocrisi dicitur,  
blasphemum est, non tam hominum, quàm Cacodæ-  
monum commentum. Neque enim Deus homines hy-  
pocritas, aut peccatores facere potest: & tamen ipse est  
qui *Timoris Palo* cor humanum configit. Quorsum enim  
tam frequenter, tenebras exteriores, dentium crucia-  
tum, incendia sempiterna, & alia gehennæ supplicia per  
se, perque suos ingeminat, & comminatur? reor sanè,  
nec aliã facilè comminisceris causam probabile, nisi,  
ut Diaboli in nobis ædificio funditus everso, novũ soli-  
dumque, pro Sapientiæ, seu Virtutum, Domo, Funda-  
mentum ponamus. Ecclesia Dei, num filios suos hypo-  
critis facere molitur, cum Judicium, tum particulare,  
tum generale, formidinis, ac horroris plenissimum iis  
toties proponit? Quid de Patribus & Magistris Ecclesiæ  
dicam, viris sanctissimis, in quorum paræneticis nihil  
occurrit frequentius, quàm commendatio *Timoris Servi-  
liis*, non excluso *Fialiis*, & ad illum exstimulatio? Audiatur  
S. Basilius, Commentario in Psalmum xxxiii. *Timor sa-  
lutaris, qui ad sanctitatem deducit, & anima divinitus insitus est,  
qualis existat, si cupis audire, attende. Quando fortè ad aliquod  
peccatum te videris paratum, illud horribile Christi Iudicium co-  
pula. Hoc timore correptus & insitutus à pravis concupiscentiis*  
ani-

*animum cohibebis.* S. Ambrosius ad Virginem lapsam, multis agit cum Virgine corrupta, & exstimulat, ut sibi gehennæ incendia, & tenebras exteriores ante oculos ponat. An fortasse, ut hypocritam faciat? Nec S. Hieronymus erat hypocrita, qui de se ipse scribebat: Ille ego sum, qui ob gehennæ metum tali me carcere damnaveram. Quid S. Augustinus? nonne initium conversionis suæ *lib. vi. Confess.* attribuit Timori, quæ semel conceptum in medio libidinum æstu retinuerat? Hoc igitur sit firmum ratumque, Isagogicum ad conversionem, introductorium ad pietatem, fundamentum denique Aedificii spiritualis, & initium Domus Sapientiæ, esse **TIMOREM DOMINI**, quem vobis enixissimè commendo.



### NOTÆ.

**B**ellarminus *Concione secundâ de Iudicio extr.* Cùm omnes Lutherianorum errores mihi & absurdi, & perniciosi videantur, tum illum absurdissimum & perniciosissimum semper iudicavi, quem hominum pectoribus inferere conantur, cùm ajunt, *Timorem illum, qui ex iudiciorum DEI, & cruciatuum gehennæ oritur, solet, hominem hypocritam & magis reum reddere.* Legendus idem *Lib. de Pœnit. Rossensis Art. vi. damnatorum à Leone X. Tridentina Synodus sess. vi. Canone VIII.* Si quis dixerit, gehennæ metum, per quem ad misericordiam DEI de peccatis dolendo confugimus, vel à peccando abstinemus, peccatum esse, aut peccatores peiores facere, anathema sit.